

ICIBILLET

Paroles de chanson

03/05/2026

Miserere

Par Allegri

Album : Smooth Classics - disk 3

Miserere mei, deus: secundum magnam misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea: et a peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco:

et peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi, et malum coram te feci:

ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus

sum: et in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti:

incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi.

Asperges me hysopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium et laetitia: et exsultabunt ossa humiliata.

Averte faciem tuam a peccatis meis: et omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me, deus:

et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne proicias me a facie tua: et spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

Redde mihi laetitiam salutaris tui: et spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: et impii ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus, deus,

deus salutis meae: et exsultabit lingua mea justitiam tuam.

Domine, labia mea aperies: et os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium,

dedissem utique: holocaustis non delectaberis.

Sacrificium deo spiritus contribulatus:

cor contritum, et humiliatum, deus, non despicias.

Benigne fac, domine,

in bona voluntate tua sion: ut aedificentur muri ierusalem.

Tunc acceptabis sacrificium justitiae, oblationes,

et holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos